



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. Quòd Christi mors vnica sufficit ad tollendum omnia peccata, praeteria, praesentia & futura.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

fore certas propter Christum, & non ob nostra merita. Ideò dicebat Propheta Psal. 113. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Sed propterea non auocari nos patiamur à studio bonorum operum: hoc neglecto, promissiones nihil erunt, etiam si non propter illa sint efficacia. Exigit enim Deus illa ad laudem & gloriam suam, Phil. 1. Sunt quoque gratiæ nostræ, & sua habebunt præmia.

## CAPVT XXIII.

## ARGVMENTA.

1. *Quòd Christi mors vnica sufficit ad tollendum omnia peccata, præterita, præsentia & futura.*
2. *Quomodo efficacia illius mortis distribuitur per media.*
3. *Quòd media licet exigantur, non tamē sunt pars salutis nostræ, sed solus Christus est totus & vnicus Saluator, cui totum tribuitur: & solum ipsius opera, & non nostra, vincunt peccatum, mortem & Sathanam.*



Postolus inquit, 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi, id est, pro omnibus peccatis quæ in mundo vnquam facta sunt aut fieri possunt, solus Christus est propitiatio: Nam illum posuit Deus propitiatorem in sanguine eius Rom 3. Sic Esa 53. In eo posuit iniquitatem omnium nostrū, quotquot in mūdo sunt, tam originale quàm actuale. vnica igitur mors Christi, semel facta, Rom 6. sufficit ad tollendum omnia peccata, præterita, præsentia & futura, inquit Lyra, Ro. 6. Hic agnus igitur Dei tollit

tollit peccata omnia mundi, Ioan. 1. Qui ideo est immolatus, ut sit sacrificium omnium credentium coram Deo, cuius efficacia est, quod sit remissio certa, ac sufficienter promerita omnibus cupientibus, Natiuitas, mors, passio, resurrectio, ascensio, ieiunium, oratio, legis impletio per Christum, hæc opera nos saluant, & peccata remittunt, non nostra opera. Non ergo Christus est saluator ad Baptismum usque, ubi non post Baptismum operibus nostris mereri debeamus remissionem & vitam: sed semper est vnicus saluator, & propter ipsum atque opera eius remittuntur omnia peccata propter nomē eius. Act. 10. Lucæ 24. Prædicari in nomine eius pœnitentiam &c. & non propter nostra merita, quia nos semper serui inutiles, Lucæ 17. nec opera nostra possunt mereri vitam æternam. excedit enim hoc facultatem naturæ nostræ, ideo ex gratia datur salus propter Christum. Sic quoque inquit Apostolus Roman. 6. Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius: ideo quoties peccando sumus inimici Dei, oportet recõciliari nos per mortem filij eius, non nostra merita vel opera, quanuis necessariò exigantur. Et latiùs inquit Paulus: Multò magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius. Vtrunque commemorat Apostolus, remissionem & salutem: & illa duo Christo soli tribuit, quòd habeamus ea per mortem eius.

2. Licet Christus solus sit hostia pro peccatis totius mundi, (nam solus Christus passus & mortuus est pro peccatis totius mundi, & nullus aliorum sanctorum vel Martyrum mortuus est pro peccatis nostris: illi confessione Fidei mortui sunt: sed solus Christus habet hunc titulum & gloriam, quoniam pro peccatis nostris, id est, totius mudi mortuus est, Ro 4. 1. Io. 2.) attamen efficacia mortis Christi, non distribuitur nisi per media, quæ sunt pœnitentia, cessatio à vi-

tiji,